



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XCVIII. Testament von Conrad Brun, vom 17. November 1329.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

XCVIII. Testament von Conrad Brun, vom 17. November 1329.

Nos — Consules antique civitatis Soltwedel In perpetuam memoriam recognoscimus — quod discretus noster concivis Conrad Brun, adhuc compos sui corporis et sane vite coram nobis constitutus, XXV solidos, quos comparavit perpetui census de hereditatibus infra scriptis videlicet — — — vel de areis dictarum hereditatum singulis annis percipiendos constituit et ordinavit pro legitimo testamento dandos utique singulis annis in die sancti Clementis — in memoriam Hermannii Brun et Methildis suorum parentum ac Methildis, quondam sue uxoris felicitis memorie, et Gerthrudis, nunc sue conthoralis vegetantis, atque sui ipsius postquam decesserint Deo disponente, prout infra continetur, ita sane, quod quolibet anno in die Clementis Vel feria sequente honorato viro Domino . . . Preposito Soltwedeleni vel vices eius gerenti II sol., Capellanis ipsius Prepositi tribus III sol., sacerdotibus fraternitatis Kalendarum, qui ad ecclesiam sancte Marie confluent, anniversarium predictorum celebraturi, qui de vesperis induti supelliciis posita ipsorum fratrum Kalendarum purpura exequiis depictata vigiliis sollempniter decantabunt, de mane sequente quisque ipsorum missam dicet pro defunctis, Quibus missis completis sacerdos denuo fratrum vel capellano- rum prepositi cum duobus ministris ad altare summum procedet missam animarum, cui omnes sacer- dotes Kalendarum supelliciis induti intererunt, celebraturus, XI sol. dabuntur, qui exinde vna facient consolacionem ipso die, Magistro scolarum solidus et VII scolaribus, quos scole magister secum ad vigiliis et ad missam et ad commendacionem iuxta sepulchrum ordinabit, II sol. dabuntur, Custodi vero II sol. suo pro labore pulsacionis et pro lumine, quod ponet illa nocte utique, quod dicitur nachlicht apud volgus, erogabuntur. Item pro luminibus Gylde consulum, que infra vigiliis et missam ponentur more solito exequiarum ardentia, IIII sol. dabuntur, et custos sancte Marie predictos XXV sol. tollit singulis annis de hereditatibus prenotatis seu ipsarum areis et distribuat prout superius est expressum. Item si fratres Kalendarum — contingeret in posterum cassari, extunc ad prelibatas exequias seu memoriam peragendam altariste seu ipsorum vicarii altarium infra scriptorum scilicet sancti Michaelis, sancti Stephani, sancti Johannis baptiste et iterum sancti Johannis evangeliste, sancti Andree, sancti Jacobi, sancti Petri, sancte Marie Magdalene, sancte beati Dionysii et beati Martini peragere debebunt superius prout est expressum. Si autem eveniret casualiter, quod ipso die sancti Clementis vel feria sequente, in quibus memoria prenotata vt premittitur est peragenda, divine fuerint suspensa, tunc cum primo divina fuerint reuocata, sepedicta memoria exequiis vigilia- rum et misse, velo purpure fratrum Kalendarum in medio luminum consulum explicato, sollempniter cum commendacione peragetur. Preterea si sacerdotes ad predictam memoriam deputati iudicio nostro vel successorum nostrorum indebite peragere vel negligere presumentur, tunc XXV sol. pre- dicti voluntati nostre et successorum nostrorum cedent dandi. Insuper seprenomatus Conrad Brun premissos XXV sol. a nobis ad predictam memoriam dandos perpetue amice ab omni iure nostre civitatis liberavit. Vt autem premissa omnia et singula perpetuam observacionem obtineant in convolve presentes inde confectas appensione sigilli nostre civitatis munivimus lubidinosse. Datum Anno Domini MCCCXXIX°. feria sexta infra octavas Martini episcopi et confessoris.

Aus Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Soltwedel S. 9.